



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Ludus ad virium ostentatione[m] in quo mors corporalis sequi poßit,
prohibitus est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Testimonium. 535

Et tamē Dei tentatio materialiter tantū, imperfectū quid in specie tentationis: & ideo venialis est propter imperfectionem actus ex parte formæ. Potest etiam esse venialis propter actus imperfectionem ex parte actus: vt in primis motibus.

Falsum in iudicio testimonium proferens grauisimè peccat.

Testimoniū falsum in iudicio, peccatum est ex suo genere mortale: quia iniustū. Negare quoq; testimoniū si articulus necessitatis vrget, peccatum est mortale: vt pote in damnū proximi vel cōmunis boni cedens, præceptū enim affirmatiuū de ferendo testimonio, pro loco & tempore obligat, & propterea si tunc non vult homo parere perhibendo testimoniū necessariū, non excusatur à mortali. Extra iudicium autē falsum testimoniū iudicatur sicut mendacium.

Timor potest multipliciter effici peccatum.

Timor nullum est secundum se peccatum. Potest tamen multipliciter fieri peccatum. Et ex modo timendi, puta si plus aut minus timeatur quā oportet. Et ex collatione vnus timendi ad aliud timendū. Et hoc est quādoq; mortale: vt si plus timeatur occisio corporis quā mors animæ: plus timeatur ira principis quā ira Dei: & sic de similibus.

Ponitur quoque speciale peccatum timor pro tristitia de bono alterius, quia nocuum est mihi aut aliis, si temerarius est timor, nā si veritati aut rationabili æstimationi innititur, nullum est peccatum moderata tristitia de alterius prosperitate ex qua bonorum oppressio venit.

Ludus ad virium ostentationē in quo mors corporalis sequi possit, prohibitus est.

Tornea

Torneamentum (hoc est ludus quo ad ostentationem virium & audaciæ milites multi ex condicto conueniunt & congregiuntur temerè: ita vt sæpe mortes hominum inde proueniant) peccatum esse mortale constat ex admixta pernicie vitæ humanæ, siue in effectu, siue in periculo frequenti, absque rationabili causa. Vnde tales ibi vel propterea mortui carent Ecclesiastica sepultura, etiam si ad pœnitentiam conuersi fuerint: vt canonica iura disponunt.

Respublicam tyrannicè occupare peccatum est grauissimum.

Tyrannus qua respublica occupatur (vel quantum ad dominum vt contingit iis qui se vt dominos constituunt, siue immediate siue mediante, coacto consensu subditorum. Vel quantum ad effectum modumque regiminis: vt contingit iis, qui quamuis veri sint Domini, non quærunt publicum bonum sed proprium) est peccatum mortale grauissimum: vt pote contra bonum publicum & tantò peius quanto remotius est à pœnitentia. Regnandi siquidem amor tantus est, vt non permittat tyrannum quò ad dominium conuerti ad pœnitentiã, utilis quoq; boni proprii amor radicitus, difficillimè euelli potest.

Sed nunquid gubernante tyranno (qui scilicet non habet legitimè dominium sed tyrannicè occupat illud) peccent illi qui recurrunt ad ipsum pro iustitia? quia inducunt illum ad actum quem non potest licitè exercere.

Respondetur quod excusantur à peccato inducendi tyrannum ad actum & opus sibi illicitum petentes ab illo iustitiam: quia non petunt actum illicitum, sed iustitiam actus illius illiciti. Sicut enim luxuriosa sanctè consulitur vt non adulteretur sed fornicetur, hoc est minus malum committat: quia subintelligitur si luxu-